AMYNTAS

Thomæ VVatsoni

Londinensis

I.V. studiosi.

Nemini datur amare simul
et sapere.

EXCVDEBAT
Henricus Marsh, ex
assignatione Thomæ
Marsh

1585.

ENRICO NOELLO,

IRO NOBILITATIS,

ac virtutum communione perinsigni

Thomas VVatsonus

S.P.D.

Vlpare soleo Gorgiam, et si virum philosophum, qui scriptis et orationibus publicè probare voluit, nihil in rerũ natura esse, quod sit. Et Zenonem illum, qui eadem & posse, & non posse fieri affirmauit: quin etiam & Melissum, qui cùm res infinitæ sint, rationes tamen inuenire conatus est, quibus demonstraret, vnum quidam esse totam rerum vniuersitatem. Longè etenim tenuiùs horum vnusquisq; disputauit, quàm

quàm argumenti magnitudo postulabat. At quantò rectiùs illi, atq; tutiùs, qui salem, apicu-las, febrem, caluitiem, egestatem, & ignoran-tiam summis laudibus extulerunt? Nempè satis quidem intellexisse mihi videntur, difficile ac arduum sibi fore, de rebus luculentis, & omni-um confessione præclaris, aliquid afferre in me-dium, quod nemo antè vsurpârit: de rebus au-tem contemptis & humilibus verba facere tan-tò facilius, quantò grauitas leuitate, res seria ludis & iocis est laborioſior. Istorum ego se-quutus opinionem, prudenter fortassè mihi fe-cisse videor, si consilio; fœliciter, si casu; quòd omissis paulùm grauioribus studijs, in syluestri-bus Amyntæ querelis tantillum operæ atq; olei insumpserim. Ipse Romanorum olim sapientiſsi-mus à ratione diuersum non putabat

Cum pueris equitare in arundine longa.

Quid etiam Homerum commemorem, qui pro

murium

drium & ranarum pugna haud minori laude effectus est, quàm pro aureo illo Iliadis, aut Odyssææ monumento? Quid Virgilium, qui Æneados & Culicis sui eandem ferè laudem reportauit? Quid denique Petrarcham, (vt quamplurimos præteriam) qui cùm Lauræ mores & mortem iuuenilibus exposuisset, tamen celeberrimos posteà Triumphos decantauit? Neminem verò existis, quæ iam dixi, putare velim, me adeò φίλαυτον esse, & insolentis animi, vt ausim existimare, vel cum Homeri Batrachomyomachia meas Querelas, vel cum Maronis Culice meum Pastorem, vel cum Petrarchæ Laura Phyllida meam vlla ex parte conferendam esse. Quin potius ingenuè fateri minimè erubescam, infœliciſsimum meum Amyntam humi repere, squallidum, & infirmum, dùm ſi non tam salutis spem quærit, quàm exitij solatium. At qualiscunque est colonus iste, generoſiſsime Noelle,

eum

eum tibi tam viuum, quàm demortuum offero. Quid nî enim & Faui, & Panes aliquandò in cælicolûm societatem & epulas admittãtur? At quid nobis, fortè inquies, cum querêlis? quis vnquam sapiens malorum amauit nuncium? immò verò, quis nostrûm ità in Vlyssem facilè se commutauerit, vt Syrênum cantu & lenocinys deliniri nolit? aut quis tam ἀπαθὴς, vt lubenti & exporrecta aure non excipiat

Quale suo recinit funere carmen olor?

Eo autem confidentiori animo istas tibi Querelas dicaui, partìm, quòd eruditissimis viris, quorum apud me authoritas plurimum valere debet, satis probatæ fuerint: partìm, quià te neminem inuêni digniorem qui eas à maleuolorum morsibus tueretur: præsertìm verò, quià dilexi te, quo die cognoui. meq; à te diligi iam diù in votis habui. Nam quî obliuiscì queam tam perbenigni aspectus, tam suauissimi sermonis, miraq; humani-

humanitatis tuæ? Sed nolo tibi nimio verborum ambitu hic molestus esse: nè aut Musæ lachrymis suis mendicare stipem, aut à grauioribus te negocijs nimiùm interpellare videantur. Deum itaq; Optimum Maximum enixissimè precor, & assiduè precabor, nè vnquam aut meritis tuis gloriam, aut virtuti fortunam deesse patiatur.

Vale, vir Generosissime, & quantulumcunq; me in clientêlis tuis numerato.

* *
*

Ad Lectorem.

Nil opus est leuibus præludia texere nugis;
Si placeant, relegas: ni placeant, [redacted]

alligas.

Amyntæ querela prima.

PHyllida formoso raptam sub flore iuuentæ
Assiduo gemitu tristis lugebat Amyntas,
Mentis inops, plenus curæ, lachrymosus Amyntas,
Peruigili planctu syluas, montesq́, lacusq́,
eluncas, ripas, ventos, auramq́ fatigans.
st vbi nequicquam se perfudisse videbat
allida iam nimium lachrymis manantibus ora,
llanec inuênit miseri solatia luctus,
Tandem se Thamesis raucas conuertit ad vndas,
Et sic illachrymans affatur labile flumen.
Audi nympha graues, audi pia nympha querelas,
Et tecum sinito cognati regna subire
Oceani, totum qui fluctibus alluit orbem.
Ille meos questus per inania littora secum
Deferet, vt nostræ sit tellus insciaflammæ
Nulla, meosq́, ignes calidæ testentur arenæ.
Forsan & ipse pater Ponti Tritona canorum
Cæruleæ concha passim spirare iubebit
Quos patior Siculis grauiores ignibus æstus.
Sic omnes præcone Deo vulgata per oras
Fama mei miseri, fama infœlicis Amyntæ
Tartareum per aquas tandem penetrabit Auernum,
Elysiq́, domos latas, lucosq́ subintrans,

Querela prima.

Occurret nimiùm dilecta Phyllidos vmbra,
Phyllidos, æternum quam flebo miſellus Amyntas.
O ego quàm fœlix tenera cum virgine Paſtor.
Quàm vixi verè fœlix dum fata ſinebant.
Sapè, calore ſuo ne torrida læderet æſtas,
Sedimus vnanimes patula ſub tegmine fagi,
Alter in alterius charis amplexibus hærens.
Alter in alterius defixus lumina vultu,
Ambo cantantes, autores carminis ambo,
Ambo blandiſonis miſcentes oſcula dictis.
Eius & interdum tangebam mollia colla,
Colla nitore ſuo niueis æquanda liguſtris,
Dum noſtro ſuſpenſa ſinu, rubicundula riſu
Leni perplacuit, vel dum tractabat eburno
Pollice quas habui ſparſas lanugine mâlas.
Forſan & auſus eram teretes quandòque papillas
Indigna mulcere manu, placideq́, mouere.
O mihi tum verni perdulces temporis horas,
Fœliceſq́, dies, dum ſydera læta micabant.
At nunc (heu) quantus duris dolor oſſibus ardet,
Poſtquàm deſeruit miſerum me Phyllis Amyntam?
Nulla dies oritur noſtri non conſcia luctus,
Et nox quamtumuis laſſo fert nulla quietem:
Luce mihi media, noctû mihi Phyllis oberrat.
Nunc ſi quando feris Aquilonibus intonat æther,
Et vaga tempeſtas nymbo delapſa fragoſo

Querela prima.

Meq̃, meumq̃ pecus viridi de gramine cogit
Currere sub sylvas, platanosq̃ subire comantes,
Phyllis abest, Phyllis nostra solatia vita,
Cui toties Veneris puerum, Veneremq̃ canebam,
Et latas Charites, & Faunos, & Satyriscos:
Nec non visus eram socios superare canendo,
Quotquot in his mecum pecoris sedêre magistri
Vallibus: Heu, solus cui iam cantabit Amyntas?
Phyllida si laudo, fors laudant Phyllida sylvæ,
Phyllidaq̃ abruptis repetit de collibus Ecchо,
Mœroriq̃ meo faciunt ludibria venti,
Ingemit & mecum dimissis crinibus arbos,
Et tacitò queritur mutato terra colore.
Sed rerum hac facie casus mihi crescit acerbus,
Dum solis oculi curis pascuntur, & aures.
I tenerum pecus, & quondam mea cura, Capella,
Quærite nunc alibi vescas in pabula frondes,
Herbosas peragrate vias custode relicto, &
Me sine sub tectum, cùm venerit Hesperus, ite.
Vos aliquis pascet miserans, stabuliq̃ reponet,
Solus ego dum flebo meam, vestramq̃ puellam
Phyllida, nam vestri curam quoq̃ Phyllis habebat.
Solus ego degam duris in montibus ævum,
Tristes spelunсas habitans, latebrasq̃ ferarum,
Humanos quà nulla solet perducere gressus
Semita: Vel nemorum mœrens umbracula quæram,

Querela prima.

Exosus Phœbi radios, & lumina noctis:
Vt mihi taxicolæq; stryges, coruusq; siniſter,
Funereusq; canat feralia carmina bubo.
Illic hiſce oculis lachrymarum copia tanta
Effluet, vt currant liquidæ de fletibus vndæ
Per virides campos, vicinaq; paſcua circum.
Illic verba querar ſenſus motura ferarum,
Quæq; ſuis ragidas ſoluant radicibus ornos,
Panthêras faciant cicures, et mollia ſaxa.
Sin oculos ſomno ſit declinare neceſſe,
In gelida proſtratus humo languentia membra,
Tantillum ſtertam, ſed nullo ceſpite fultus,
Nec ſuperingeſto ramorum pondere tectus:
Horrida vt incautum lathali vipera morſu
Enecet, & Stygias mea mens delata per vndas
Incolat Elyſios campos cum Phyllidis vmbra.
Intereà vos, ô, Paſtores candida turba,
Atq; hæc qui colitis celeberrima rura Coloni,
(Pernouiſtis enim, &, niſi fallor, amatis Amyntam,
Blanditias Veneris me me monitore cauete,
Et calamos eius teneri, ſed fortis alumni.
Illa ſuis facibus mea torruit, iſte ſagittis
Pectora percuſſit: quid ſæuius igne, quid arcu?
Heu miſeram ſortem nimis infœlicis Amyntæ.

Cærulea

Querela secunda.

Cærulea Thamesis cum propter amœna fluenta
Plurima cõqueſtus ſurdas clamaſſet ad vndas,
Flebilibuſq; diem totum, noctisq; tenêbras
Lamentis illic miſer inſumpſiſſet Amyntas,
Aurea quamprimum roſeos Aurora capillos
Oſtendit, bigiſq; omni vaga ſydera calo
Diſpulit, ille, ſui cruciant quem ſemper amores,
Infœlix paſtor iam nudas gramine ripas
Deſeruit, curuoq; pedo munitus, in altos
Aſcendit colles, ſed lentè & paſſibus ægris;
Lanigeroſq; greges vnà, teneraſq; capellas,
Et molles hœdos meliora ad pabula duxit:
Inq; via ſecum ſic eſt affatus euntes.
Quàm vereor, Pecudes, nè, me dum triſtis amantem
Cura tenet, noſtros & vos ploretis amores.
Cur non balatis, cur non ſaltatis vt olim?
Quid pratis agni, Baccho quid parcitis hœdi?
Phyllida qui deflet, num vos defletis Amyntam?
Et pecori nocet vnus amor, pecoriſq; magiſtro?
Heu, quantæ ſortes miſeris mortalibus inſtant?
Agnoſco penitus quæ vobis cauſa querelæ
Surgat, & infandos mecum ſufferre dolores.
Phyllis enim vobis prima ſub nocte, Capellæ,
Vbera preſſabat referentibus vbera plena.
Sepè etiam vobis ludentibus illa tenellos

Querela secunda.

Admouit flores, quos insuper accumbebat:
Exustaſq; siti flagranti sub Canis astro
Admurmur salientis aquæ ducebat amicè,
Me placidum gelida somnum capiente sub vmbra.
Voſq; meæ charæ, meæ curæ secundæ, Bidentes,
Vos mecum fluuio Phyllis quandòque salúbri
Sordidulas mersare solet, purgataq; terga
Tondêre: in placidos tum saltus reddere lætas,
Emissaq; lupos vulpesq; arcere Lyciſca,
Interdumq; domi tutis includere septis,
Aspera ne sauis Aquilonibus aura noceret
Mollibus, aut glacies, et atrocis frigora bruma;
Vos adeò Phyllis, adeò me Phyllis amabat,
Phyllis erat vobis custos, mihi Phyllis amica.
Attamen ô blandum pecus, omnem ponite luctum,
Nostra nec aspicite illatis obtutibus ora
In fontes resoluta nouos, neq; flentis amarè
Auribus arrectis mœstos haurite susurros,
Nec mea septeno quod canna foramine stridet
Iusuetum querulumq; melos. Procul ite magistro,
Et facili saltu pictos percurrite campos,
Herboſumq; nemus lasciuo carpite morsu,
Et teneras vites: cursu sed abite citato,
Si venit impositus tardo Silenus asello.
Phyllidis exequias me me permittite solum
Et dulces cineres miseram cantare querelam:

Quali

Querela ſecunda.

" *Qualis vbi longo mœrore Caïſtrius ales*
" *Confectus, ſenioq; graui, ſua ſentit adeſſe*
" *Funera, ſolus agens per frigida flumina curſum,*
" *In ripa tandem, graciles interq; geniſtas*
" *Conſidet, ac ſerò modulatus flebile carmen,*
" *Cum cantu vitam liquidas exhálat in auras.*
Heu quò me vertam ſine te mea vita ſecunda?
Quid ſine te facient ſylua, quid prata, quid agri?
Ipſa Pales agros, ex quo te fata tulerunt,
Et Faunus ſyluas, & prata relinquit Apollo:
Dulcia non oculis, non auribus vlla feruntur.
Sin redeas mea Phylli meis permota querelis,
Gramine prata, nemus foliys, & floribus agri
Turgebunt, miſeriſq; ferent optata colonis;
Nempè ſuos fœcunda Pales redamabit agellos,
Et Faunus ſyluas, & paſcua latus Apollo:
Triſtia non oculis, non auribus vlla ferentur.
Ergò iſtas iterum (ſi fas) remeato ſub auras,
Deſeritoq; locos latos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, mânesq; tremendos
Vince tuis oculis, quibus aurea ſydera vincis.
Et blando ſermone, cheli qui dulcior ipſa
Threicei Vatis, Furias, Plutonaq; toruum
Placato, Stygijq; canis compeſce furorem:
Orphea nam cantu ſuperas, pietate Sybillam.
Dulcis amica redi, propera mea dulcis amica,

Querela secunda.

Ni redeas propere, fletu tabescet Amyntas.
Te per ego has lachrymas, et per candentia nostro
Quæ sinuata soles collo dare brachia circum,
Per q̃ datam totiés nobis dextramq̃ fidemq̃,
Per q̃ labella meis totiés coniuncta labellis,
Per nostros cœtus, per promissos Hymenæos,
Per quicquid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere mei pereuntis, et istis
Oro (si quis adhuc precibus locus) exime curis.
Aut saltem lachrymis crudelia numina Parcas
Flecte tuis, ne me solum sine te mea Phylli,
Vlteriusq̃ sinant lento marcescere luctu.
Si moriar, syluas Erebi, sedesq̃ beatas
Inueniam, tecumq̃ fruar fœlicibus horis.
Officijs ibi te vincam, tu me quoq̃ vinces,
Florea serta tuo capiti mea dextera texet,
Florea serta meo capiti tua dextera texet,
Amboq̃ sub viridi myrto repetemus amores,
Quos olim parili versu cantauimus ambo.
Sed quorsum leuibus nequicquam talia ventis
Conqueror infœlix, ac si suspiria mixta
Cum lachrymis fixum possint diuertere fatum?
Inde domum lugens sub nocte oriente redibat.

Tertia

Querela tertia.

TErtia iamq́ dies aderat post cruda puella
Funera, cùm grauibus curis oppressus Amyntas
Exêmit stabulis hœdos, & ouilia septis,
Ac iuga vicini collis frondosa petiuit.
Quà raptam pecudes inter dum deflet amicam,
Votaq́ multa ædit singultibus interrupta
Ventosis, mollesq́ vago diuerberat auras
Mugitu, sonitus extremos flebilis Eccho
Non repetit, memor ipsa sui, quo languet, amoris,
Sepulchrum tacito Narcissum corde volutans
Soluitur in lachrymas, nectitq́ dolore dolorem,
Dumq́ cupit fari, linguam suspiria sistunt,
Impediuntq́ sonos, & vox in gutture pendet,
More nec assueto mœstum deludit amantem.
Talia questus erat Pastor, dum constitit illa,
Mutaq́ lugenti miserantem præbuit aurem.
Hei, quantum nobis indicit Cypria bellum?
Quales condit Amor faculas sub pectore nostro,
Vt tam longa dies nequeat producere pacem,
Nec cæcas fontes lachrymarum extinguere flammas?
Funditus (heu) perij, postquam malè cautus ocellis
Aspexi cupidis superantia labra corallum,
Sydereos oculos, spacioſaq́ tempora lætæ
Frontis, & aurata radiantes luce capillos,
Ac niueas candore genas, ostroq́ rubentes,

Puraq́

Querela tertia.

Puraq; mobilibus turgentia pectora venis,
Et quales digitos Tithoni blandula coniux
Vix habet, annosam dum texit pollice barbam.
Cætera quid memorem nullis interfita nauis
Membra? quid oblongo vestigia condita peplo?
Crebra quid Ambrosijs sermonibus oscula iuncta,
Iunctaq; baseolis haud irrita verba pudicis
Sub lauro Phœbi, Venerisq; sub arbore myrto?
Talia surripuit mihi gaudia fictilis vrna,
Quæ modo combustæ liuentia contegit ossa
Phillidis, heu nimiùm precioso pondere fœlix,
Et nimiùm fœlix tellus, quæ contegit vrnam.
Mundi delicias, ac primæ summa parentis
Munera Natura, nostrosq; tenetis amores,
Et Solem ruris nostri, Nemorumq; Dianam,
Pastorumq; Palem, & virtutum dotibus amplis
Pandoram (sed erat vicijs exuta) secundam.
Heu nimiùm fœlix terra, & fœlicior vrna.
Tuq;, ô, ter fœlix, tumulo quod crescis ab illo
Gramen, & in dulces tenerum caput exeris auras,
Molli mulcendum Zephyro, nulliq; secandum
Falcibus, & cuius folijs incumbere serpens
Horreat, afflatuq. suo, taboq; nocere,
Aut plantis vrsus, cornu bos, vngue leæna,
Aut rostris volucres, aut gressu reptile quicquam,
Aut glacialis hyems, aut lunæ roscidus humor,

Aut

Aut Phœbi calor, aut igniti ſydera cæli,
Aut fera tempeſtas, aut dira fulminis ala.
Hinc armenta, precor, procul hinc arcete bubulci,
Vos quoq; Paſtores, procul hinc conducite turbas,
Nè pecus ignarum noſtro lædatur amore,
Neù minuat taurus tumulatæ virginis oſſa,
Dum pedibus calcat, vel cornu ſpargit arenam:
Hic locus hic ſacer eſt, latet ipſa Phyllis in herba.
Huc properate mares teneri, cultæq; puellæ,
Spargite monticulum ſanctum luſtralibus vndis,
Conſtructaſq; pyras fagis implete Sabæo
Thure, leuiſq; æther iucundo fragret odore:
Atq; Arabis collecta manu date cymnama buſto
Phyllidis, & miti caſia, violiſq; & amomo,
Purpureiſq; roſis, pulchroq; tegatur Acantho.
Vndiq; tum ſacras flammis accendite ceras,
Nudaq; neglectis tundentes pectora palmis,
Aurea funereos ad ſydera tollite cantus
Triſtibus eulogijs plenos, & honore puellæ.
Vobiſcum Satyriq; leues, Fauniq; bicornes,
Et ſimplex Dryadum, Charitumq; ſacerrima turba
Haud intermiſſas fundet miſeranda querelas.
Intereà pollinctor ego mœſtiſſimus atri
Funeris ad talos morientia lumina geſtans,
Laſſabo plangore nemus, medioſq; per agros
Fletibus orta meis labentur flumina, magno

Qua

Querela tertia.

Quæ neq; contineant ſurgentes aggere ripæ,
Nec Canis Icarij torrentia ſydera potent.
Mecum Parnaſſus, mecum lugebit Apollo,
Et Parcis infenſa Venus pro Phyllide rapta.
Æternaq; facem ponet, pictamq; pharêtram
Improbus ille puer, qui me cum Phyllide iunxit,
Lachrymulisq; ſuis triſtes lenire querelas
Ipſe paratus erit, licet vnica cauſa querelæ.
Sed quorſum demens iterum pia funera canto
Phyllidis? infœlix quid ſeris nænia fletur
Lamentis? noſtros (heu) ter luſtrauit agellos,
Terq; caput retulit ſubter Nereïdos vndas
Phœbus, & Antipodas totiès deſpexit ab axe,
Quòd buſti fuerint ſolennia quæque peracta,
Clauſaq; pulnereo ſolatia noſtra ſepulchro.
Attamen inſano iuuat indulgere dolori,
Et lachrymas lachrymis, & curas addere curis,
Nullaq; concedent mœrori tempora finem.
Heu nimias vires & ſæuæ Cupidinis arma!
Non tantas rebar fore blandi vulneris iras,
Cùm iecur exuſſit primùm, virideſq; medullas,
Cumq; meum tenui traiecit arundine pectus.
Tale querens caſulam repetit ſub veſpere paſtor.

Ter

Querela quarta.

TEr Phœbus mundo lucem, rebusq́ colores
Abstulerat, claraq́ diem iam lampide quartum
Induxit, tumulo post condita virginis ossa,
Cum memor antiquæ flāmæ lugubris Amyntas
Noluit arbuteis hœdos discludere caulis
More suo, & pastum notos tranare per amnes:
Aut per vicini nodosa cacumina montis.
Solus at incedens per agros, ad flumina tandem
Cognita procumbit. laticiq́ intentus ocellos
Hæret, inexpletum lachrymans, ac talia fatur.
Me miserum, quid agam? quònunc vestigia vertam
Infœlix pastor? cineres mânesq́ sepulti.
Non mala percipiunt, neq́ fletus commouet Orcum.
Phyllis ibi nostrum iam dedignatur amorem,
Et Stygij sequitur crudelia iussa tyranni,
Frangere docta fidem, furuumq́ subire cubile.
Naiades, ô, quæso, si dicere forte potestis,
Dicite si famulas inter Iunonis Auernæ
Molliculo ducit candentia pollice fila.
Nam vereor nullo ne sit reditura sub æuo.
Aruorum, ô, pecorisq́ Deus Syluane, Deorum
Summe mihi, miseri cur non miserescis Amyntæ?
Cur non ad nostrum immortalia numina votum
Inflectis? tu namq́ potes cœlestibus ortus
Principijs. Ego te per quæ tibi sacra dicaui

Plurima,

Querela quarta.

Plurima, perq; tuos animos ergà Cypariſſum
Formoſum puerum, precor, vt pereuntis Amynta
Ad caſus doleas, multo facias q; rogatu
Phyllida reſtitui nobis, aut fata ſeuera
Morte mihi impoſita cunctantes demere curas.
Tu verò tandem mihi quid ſcelerate Cupido
Conſulis? exanimem cupienti viſere fata
Vltima ſunt tentanda mihi mortalibus auſis:
Nec moror hanc animam quocunque abſumere lætho.
O crudelis Amor, tu noſtri pectoris ignes
Aſpicis, et tacito creſcentes corde dolores,
Et plenos nymbis oculos, miſeret q; tuentem
(Heu) noſtri miſeret, ſcio, quamuis ipſe tyranni
Nomen habes, crudo Buſyride ſæuior ipſo.
Scilicet et nobis eadem ſtat cauſa querelæ:
Nam tua cum noſtra infœlix impingit eundem
In ſcopulum puppis, dum vento lædimur vno.
Dum rapitur Phyllis, nobis fortuna duobus
Vna datur, ſimiliſq; ambos iniuria torquet.
Chara tibi, mihi chara fuit formoſula Phyllis:
Nempe erat imperij notiſſima gloria veſtri,
Et ruris ſpeculum, et ſolum ſolamen amantum:
Et mea ſola ſalus erat, et mea ſola voluptas,
Spes mea, vita mea, ac animæ pars altera Phyllis.
O quæ ſufficiant adiuſtas verba querelas?
Tuq; ingrata nimis Tellus, iam deſine flores

Amplius.

Querela quarta.

Amplius, aut dulces nobis concedere fructus
Postquam discessit Phyllis, vestigia cuius
Mollia portasti toties, & amabile pondus
Corporis, egregium vultus mirata decorem;
Eructa patulis mugentia flamina venis,
Vt cæli facies ventorum turbine pulsa
Luctantes pluuias dimittat nubibus atris;
Talis enim tristi cum fletu conuenit humor.
Ingemina mecum luctus, tantosq́; dolores
Concipe nunc animo, quantos, cùm turba scelesta
Anguipedes olim concussi fulmine sacro
Præcipites ruerent in te tua viscera nati,
Et cum desleres subiectum Pelion Ossa.
Aut quales alto curas tum corde gerebat
Alma Ceres, quandò ludentem in vallibus Ætna
Filiolam rapuit furui prædator Auerni,
Nocte sub æterna sociare cubilia secum.
Immemor, ô, nimium Tellus, quæ Phyllidis vmbram
Non iniussa pijs lachrymis comitaris ad Orcum.
Tu tam cælesti si pondere digna fuisses,
Non ita prærapido nobis erepta fuisset
Sydere, nec mortis crudam perpessa sagittam
In teneris annis, & sub florente iuuenta.
O nimiùm crudele malis aspectibus astrum,
O misero nimiùm pastori noxia fata.
Hei mihi quòd terræ subeat mutata figuram,

Candida

Querela quarta.

Candida quæ dudum visa est, & amabilis ore
Purpureo, roseisq; genis, colloq; nitenti,
Diuiduisq; comis, oculisq; rotantibus ignes.
O fœlix Tithone, thoros tua sole cadente
Assuetos repetit coniux, puerumq; relinquens
Æolium, vitreo recubat sub marmore tecum,
Amplexuq; tenet barbam dignata senilem.
Sed mea dum Phyllis toto disiungitur Orco,
Candida nigra mihi fiunt, & dulcia amara,
Perq; diem noctemq; queror, madefactaq; multo
Mollescit fletu limosi glarea ruris,
Et ferio clamore vias, & sydera planctu:
Qualis per frutices gelidis philomela sub vmbris,
Enido raptos variato carmine pullos
Deflet, agros implens mœsta lucosq; querela.
Nec redijsse potest Phyllis: crudelia fata
Immersas Erebo mentes hoc lucis ab orbe
Detinet, ac nouiès Styx interfusa coërcet.
Nil igitur superest eius, nisi dulcis imago,
Et charum nomen nullis violabile sæclis.
Inde domum sese retulit miserandus Amyntas.

Iamq;

Querela quinta.

Amq; iterum, charæ post funera ritè peractæ
Phyllidis, Oceani fuluum caput extulit vndis
Phœbus, & Eoo pellebat sydere noctem,
Ac lucem quintam misero præbebat Amynta.
Ille sed extinctæ crudelia fata puellæ
Ingemuit, mœsto curas sub pectore versans
Assiduas; Neq; iam tenerum curabat ouile
Amplius, aut molles imponere collibus hœdos:
Sed solitum munus, lucemq; perosus adortam,
Solus in antiqui nemoris se contulit vmbras.
Quà querula flentes hyacinthos voce fatigans,
Vesanis resonas plangoribus impulit auras,
Et gemitu ventos augens, & fletibus amnes,
Nequicquam vano mœrens indulsit amori;
" Qualis amans turtur, socia post fata columbæ
" (Rusticus annosa quam pastor ab arbore fundo
" Incautam nimis, aut calamo deiecit acuto)
" Incolit obscuras, exosus lumina, syluas,
" Feralemq;, Iouis quam lambit flamma, cupressum,
" Aut quam tristis hyems afflauit turbine nigro,
" Solus init, putriq; suos in vimine luctus
" Exprimit, & viduo rorem diffundit ocello,
" Dum gemitu aresçens, victusq; doloribus, alto
" Culmine languenti in terram delabitur ala,
" Ac tremulas turpi miscens cum puluere plumas,

Querela quinta.

« Mollia transadigit falcato pectora rostro,
« Fundit & insonti tristem cum sanguine vitam.
Talia verba dolor misero suffecit Amyntæ.
Heu, quàm sæua mihi nocuere Cupidinis arma,
Æternumq; meo cordi constantiùs hærent,
« Quàm trunco cortex, vlmo quàm vitis agresti,
« Quàm muris hedera, quàm stagnis muscus aquosis?
Heu cruàelis Amor, quid non mortalia cogis
Pectora? quìduè tuo non est violabile telo?
Quin (verum si fama refert, & prisca vetustas)
Saturnum, Martemq; tuis, ipsumq; Tonantem
Vulnera turbarunt haud irrita facta sagittis,
Ille licèt senij vicio subfrigidus esset,
Alter multiplici clypeo munitus, & ære,
Tertius horrendo metuendus fulminis ictu.
Quìn matrem quoq; dira tuam transfixit arundo,
Eius & vberibus, quæ te lactârat, inhæsit.
Nec tua ponticolis nimiùm vesana pepercit
Dextera numinibus. Stygiæ neq; rector abyssi
Spicula maioris potuit sanare tyranni,
Telis antè tuis cùm pectore saucius esset.
Dum Cælo, Pontoq; noces, Erebo q; profundo,
(Eheu) terrigenæ quid nos speremus amantes?
O, qui me fluctus, quis me telluris hiatus
Pertæsum tetricæ vitæ, deglutiat ore
Chasmatico, viuumq; nigro dimittat Auerno?

Calicolæ

Querela quinta.

Celicolæ (nam vos etiam torquemini amore)
Si pietas vobis aliqua est, si pauperis alta
Vulnera pastoris cælestia numina spectant,
Eripite hanc animam dubijs quibus vndiq; curis
Opprimitur, longis placidam concedite pacem
Litibus: Atq; vtinam subijsset fata suprema,
Dum nostro mecum cecinit mea Phyllis in agro;
Donec me gremio tulit, amplexuq; fouebat,
Donec in vmbrosa syluæ requieuimus ambo.
Tunc etenim fœlix potui deponere vitam,
Illaq; pallentes orbes morientis amici
Clausisset blandè, quæ viuo sola placebat.
Sed quorsum toties venientem poscere mortem,
Atq; perire iuuat? me non optante peribo,
Obtinuit tantas animi contractio vires.
Deficiunt solidæ vires, ac pristina virtus
Membrorum, vitæq; calor, ceu fumus, in auras
Effugit, & iuuenem premit immatura senectus.
O sors infœlix, quid non coguntur amantes
In uita ratione pati? furiosa libido
Non vllos vnquam fugit imperterrita casus.
Ah chari quoties obliuia nominis opto?
Ah quoties opto pro Phyllide summa tulisse
Fata tamen? Vario mens fluctuat anxia motu,
Vt nutans inter Scyllam sæuamq; Charybdin
Naufragio vicina ratis, quam iustus vtrinq;

Impedit.

Querela quinta.

" *Impedit, impellitq́, timor, dum turbine pontus*
" *Æstuat, & fragilis ligni, quod inhæret arenis,*
" *Heu, lacerum findit latus, immergitq́, profundo.*
Sed quid ego veteres nequicquam lugeo flammas
Immemor officij, pecudumq́, & vitis, & agri?
Lædentur pecudes austero flamine venti;
Lactea nec ludet cum nigro vacca iuuenco.
Antibus effractis teneram sus improba vitem
Eruet immundo rictu, non sepe virenti
Septam: nec ramos procurua falce putatos
Iam salicis quisquam sinuoso vinciet vdæ
Vimine: nec tumidis parcet mala pica racemis.
Et, quodcunque ferunt Borealia frigora damnum,
Inculti nudiq́, mei patientur agelli.
Mecum piniferæ suspiria fundite rupes,
Mecum desertæ syluæ spirate querelas,
Mecum conspicui lachrymas emittite fontes,
Et viduæ vites, desolataq́, myricæ.
Vos etenim dulcem tenuistis Phyllida rupes,
Vosq́, quiescentem laudastis Phyllida syluæ,
Et vitrei fontes illi blandire soletis,
Et vos gemmiferæ vites, paruaq́, myricæ.
Nox erat, & sese pastor sub tecta recêpit.

Pos

Querela ſexta.

Poſt obitum nymphæ ſpargebat lumine montes
Sexta dies, humiliſq; ſuos ex æquore Titan
Iam Tarteſſiaco currus, madidoſq; reduxit
Alipedes, purum ſpirantes naribus ignem
Elatis: cùm molle pecus, tectumq; relinquens,
Inſteriles campos ſolus conceſſit Amyntas,
Fletibus ora ſibi fœdans, & pectora pugnis.
Talibus & verbis demens iter omne replebat,
Qualia queſtus erat quondam Rhodopeius Orpheus
Thrëiceas inter rupes, aut fluminis Hæbri
Iuxta fatales ripas in cеſpite viuo,
Cùm bis ereptam ſcelerati legibus Orci
Eurydicen lugeret amans, & pectine blando,
(Voce ſed intenſos ad nervos antè parata)
Lamentiſq; feras, volucres, truncoſq; moueret.
Hæc paſtoris erat vox ærumnoſa dolentis.
Hei mihi, quòd lucem cupiant animalia quæque,
Paruulaq; Auroræ cantu gratetur Acanthis,
Dum rubet in prima ſurgentis parte diei.
Hei mihi, quòd tenebras cupiant animalia quæque,
Et gratus ſaturis eluceat Heſperus hœdis,
Dum rubet in gelidæ prima caligine noctis.
Nec tenebræ miſero, neq; lux arridet Amyntæ:
Fallo diem gemitu, gemitu quoq; tempora noctis
Fallo; nec vlla dies, neq; nox caret vlla querelis.

Querela sexta.

Sin quis miretur, tam longùm tristis Amy-tam
Viuere quî possim, tam sæuo sauciùs igne,
Et vitæ putet esse breuis, neq; posse manere
Quod caret alterna requie: miracula nescit,
Quæ facit immortalis Amor. Non finibus vllis
" Illum communis naturæ regula claudit,
" Alma nec astringit Ratio, non altus Olympus
"Legibus ætherijs illum, non Iuppiter ipse
Continet imperio, qui nutu nubila cogit.
Illius impulsu priuigno Phædra pudico
Mentitis lachrymis crudele tabellis.
Illius hortatu fratrem temeraria Colchis
In frusta abscissum vento commisit inani.
Illius inuento thalami pertæsa virilis
Impia Pasiphaë tauro se miscuit albo.
Illius admonitu periit Chironis alumnus
Troiugenæ blanda deceptus fraude puellæ.
Eius & immiti percussus arundine binis
Parebat dominis, scuticamq; pauebat herilem,
Anteà, totum humeris qui cælum sustentasset.
Illeq; Læandrum cumulo submersit aquarum
Nuda procelloso tendentem brachia ponto.
Eius & insidijs aquila, pastoris, Echidna,
Flammarum, cygni, pluuiæ, tauri, Amphytrionis,
Dictynnæ, & Satyri latuit sub imagine falsa,
Qui rotat immensi sinuosa volumina mundi.

Cur

Querela sexta.

Cur autèm cæci pueri crudelia gesta
Consiliumq; nocens memoro, cædesq; nefandas,
Cuius fine caret nimis importuna tyrannis?
Non misero quisquam magis est expertus Amynta
Quantas ille habeat vires, qualesq; sagittas.
Hei mihi, quàm sequitur lenti vestigia calcis,
Quò me cunq; feram? facit & crudescere pectus
Mille modis. nostro dum singula quæq; dolori
Respondent, ego seu nigrantes abiete lucos,
Seu iuga celsa petam, riui seu rauca fluenta
Labilis, aut ripæ viridantes desuper herbæ
Incumbam, salicis gelida flauentis in vmbra?
Dum queror in syluis, tacitò lugubria syluæ
Increpitant mecum, nutantq; cacumina summa
Intonsæ quercus, atq; aëriæ cupressus.
Dumq; fleo, lenibus ventis agitata susurros
Ac sibilos edit syluarum gloria pinus,
Ac si magnus ei meus innoteſcat amaror.
Nec citiùs digno Phyllis cumulatur honore
Luctibus in nostris, quàm pando gutture deflet
Daulias ales Itym: comes, ô, dulcissima flenti.
" *Et viduus turtur veteri gemebundus ab orno*
" *Sæpiùs, heu, nostros imitatur murmure questus.*
Dumq; ego clinosi ac sterilis fastigia montis
Conscendo, fragilem passum syluestris olivæ
Sustentans baculo, violentaq; hydera diris

Impeta

Querela sexta.

Impeto, florentem quoniam violâre iuuentam
Phyllidis, heu, nomen mihi Phyllidis illicò voce
Quintuplici repetit vastis e rupibus Eccho.
Cum gemitu gemitus, & murmure murmura nectens.
Tum fera si qua meas audit vicina querelas,
Accedit, blandèq; meo sub poplite cumbens
Fert caudam crispantem vtero, dorsumq; bacillo
Palpari patitur, nostri miserata doloris:
" *Qualis Romuleo seruata leæna Theatro,*
" *Androdo mortem quæ condonabat amico.*
O, si tanta foret pietas fatalibus astris,
Phyllide non viduârer ego, neq; Phyllis Amynta.
Dumq; ego propter aquas fixus sub margine ripæ
Intueor lachrymis, gemituq; tumescere fluctus,
Fœda mihi querulæ faciunt conuitia ranæ.
Tum fortassis Hylam dubiosa mente reuoluens,
Naiades, heu, supplex oro, genubusq; reflexis,
Vt me sicut Hylam vitreas traxisse sub vndas
Dignentur, condantq; diem vitamq; perosum.
Sed frustrata ferunt venti mea vota proterui,
Sic nihil ex animo tristi succedit Amyntæ,
Quem grauium infœlix circundat Lerna malorum.
Nunc humiles ædes sub nocte reuisit Amyntas.

Septima

Querela septima.

Eptima lux noctẽ pepulit, cùm tristis Amyntas
Immites macro pascens sub pectore flammas,
Paupere de tecto syluis successit opacis,
Inq3 pias lachrymas rorantia lumina soluens
Surdis questus erat nequicquam talia ventis.
Non sum, qualis eram, lasciui gloria ruris,
Non agilis fœnum dentato cogere rastro
Interetes cumulos, non flagro grana saligno
Tundere, non vites sinuosa falce putare,
Non stiuam retinere manu, & proscindere terram,
Non scabros curare greges, non tempore festo
Alternis pedibus campum pulsare sonantem,
Nec calamos inflare leues, neq3 dicere versus.
Heu, solitum perijt robur, mihi mensq3 sepulta est,
Postquam perpetuo clauduntur lumina somno
Phyllidis, æterno quæ lumine digna fuerunt.
Deliciæ nostræ Phylli, dum viua manebas,
Dulces deliciæ: quæ dudum rustica virgo
Ingenio tecum potuit conferre, vel arte,
Eloquio dulci, gestu, vultuue sereno?
Tantùm, Phylli, tibi reliquæ cessere puellæ,
" Quantùm vpupæ cygnis, quantùm saliunca rosetis,
" Quantùm oleis salices, philomelæ cedit hyrundo.
Nec minùs ornabat tua tum præsentia turbas
" Fœmineas, decorat vitem quam pensilis vua,

" Laurea

Querela septima.

Laurea quàmq; hortum, seges aruum, armentaq; taurus.
Ipsa tua, quæ dum superest, vox inclyta laudis
Omnia sic superat nostri præconia ruris,
Torqueat vt pulchræ auersas Amarillydis aures
Omnibus vna magis dum vult formosa videri.
Illa sed in lachrymas liuentes soluat ocellos
Æmula virgo tui, dabitur tibi pristina palma.
" *Non etenim digna occumbunt cum corpore laudes,*
" *Vera nec in summo sordescit funere virtus.*
Ista sed extinctæ præconia dicere quid nunc
Attinet, et cæcos fando renouare dolores?
" *Est melius nunquam fœlicia tempora nosse,*
" *Quàm, post blanditias Fortunæ, fata maligna,*
" *Nec reparanda pati infortunia sortis iniquæ.*
Quid mihi iam prodest, olim sub sole coruſco
Molliter exceptum tepido gremioq; sinuq;
Languentes carpsisse mea cum Phyllide somnos,
Vt clam cum Mopso nobis foret inuidus Æglen?
Quid tandem prodest, per luxuriantia prata
Demetisse vnà fragrantes pollice flores,
Intyba, narcissos, & purpureos hyacinthos,
Liliaq;, & violas, casiamq;, rosasq;, thymumq;,
Et textis Satyros, Charitesq; ornasse coronis?
Quid iuuat, in duris hærentia mora rubetis,
Et fraga, & teretes baccas, & mitia corna
Collexisse simul, calathosq; implesse colurnos?

Quid

Querela septima.

Quid totiès cupidis auidè luctantia labris
Oscula iunxisse, et molles traxisse loquelas
In multam noctem? fragili quid nomina buxo in-
sculpsisse, et solo votum violabile fato?
Heu, perij, postquam Phyllis, charissima Phyllis
(Heu) perijt: quid enim faciam sine Phyllide viuus?
Non autem perij morbo correptus, vt illa,
Sit nisi morbus amor: sed lentis ignibus vstus
Paulatim morior, Mora morte ferocior ipsa est.
Talis enim morior, qualis qui viscera cacis
Æstubus affligi scelerata crimine matris
Sensyt, ac absens inuitis ignibus arsit.
Non caret vlla dies lachrymis, non hora laboris
Expers vlla sui: me, me fœlicior ille est,
Qui viuum rutilis ignem furatus ab astris,
Et Superûm iussu Scythica sub rupe ligatus
Pulpantem volucrem fœcundo pectore pascit.
O bone Pan, Fauniq́, puellis turba benigna,
Huc celerem conferte gradum, positisq́, cicutis
Multiforis, cantuq́, leui, placidisq́, chorais,
Vestras iam lachrymas lachrymis adiungite nostris.
Et mecum fletu miserando aspergite bustum
Phyllidis: illa etenim vobis dedit annua liba,
Et placuit vobis, inter lasciua papillas
Dum lusit niueas, formosior omnibus vna,
Et reliquas nymphas gestu decorabat honesto,

Oreq́,

Querela ſeptima.

" Oreq3 ſydereo, croceis hedera alba corymbis
" Vt laurum decorat, formoſis brachia nectens
" Brachiolis : nitidumq3 vt perlucentibus aurum
" Chryſolitus radijs ornat, nitidiſſimus ipſe.
Secum delicias, & maxima gaudia ruris
Abſtulit, ac miſeris iacet (heu) ploranda colonis.
Horteq3 iam lnge, ô, exculte, ardentibus illa
Solibus arentem gelidis quem veſpere primo
Sæpè rigabat aquis, & blando calce premebat.
Voſq3, ô, perſpicui fontes, quos illa beato
Afflauit vultu, viridi lanugine tectis
Eſpecubus largum lachrymarum mittite flumen.
Nam non tangetis fœlices amplius ora
Phyllidis, ora Iouis coniungi digna labellis.
Voſq3, ô, frondoſæ valles, ſyluaq3 ſilentes,
In quibus eſt niueas depaſcere ſueta capellas
Inter cuſtodes pecudum, rigidoſq3 bubulcos,
Ereptam propero fato lugete puellam.
Sed Pan, Fauni, horte, & fontes, valles, ſyluaq3
Comprimite, ô, luctus, & me permittite ſolum
Soluier in lachrymas ad lamentabile buſtum:
In mortem addetur mea mors, in funera funus.
Hæc fatus tuguri repetit ſub veſpere culmen.

Poſt

Querela octaua,

POst mortem teneræ, tumulataq́ virginis ossa,
Cum pulsis tenebris iam lux octaua colores
Restituit rebus, densas miserandus Amyntas
Ingreditur syluas iterum per opaca viarum.
Atq́ illic tandem subtèr myrto impendente
Procumbit lassus: nec virginis immemòr, altum
Sic fatur, longis singultibus ilia pulsans.
Ergonè surripuit totius gaudia ruris
Vna puella? omnium custodibus vna puella
Tantos imposuit luctus, lamentaq́ tanta?
Et spargit lachrymas Æglon, tunicaq́ Menalcas
Induitur nigra, quià mortem Phyllis obiuit?
Et gemitus edit Corydon, cantumq́ querelis
Tityrus immiscet, quià mortem Phyllis obiuit?
Et paulùm posuit veteres Amaryllis amores,
Damœtasq́ suos, quià mortem Phyllis obiuit?
Et subitò pingui macer est mihi taurus in aruo,
Et pecus omne dolet, quià mortem Phyllis obiuit?
Et lachrymæ fiunt fontes, suspiria venti,
Cunctaq́ mutantur, quià mortem Phyllis obiuit?
Nunc igitur quid ego, cui charior omnibus illa
Semper erat mihi quiq́ oculis dilectior hisce
Semper erat, quid agam iam desolatus Amyntas?
Eheu, cur vitam moror exhaurire dolendo?
Candida (me miserum) Phyllis caprimulga, capellas

Qua

Querela octaua.

Qua pascente, domum referebant vbera tenta,
Dulcius effluxit compressis lacq; papillis?
Qua præsens atas miscere coagula nullam
Nouit, & agricolis componere liba priorem,
Aut fragilem viridi fiscellam texere hibisco,
Aut per prata choros pago ductare stupente:
Qua coryli cupiere capi, dum sedit in agris,
Et prono in gremium nutabat vertice laurus:
Hæc (inquam) Phyllis, Phyllis defuncta, sepulta est.
Ah quotiès illa mecum miscente loquelas
Collexi Dryadis pulchras pictasq; corollas?
Ah quoties mecum scabro cantauit in antro,
Syluestresq; mea versus coniunxit auena?
Ah quotiès vinxit me mollibus illa lacertis,
Ah quotiès, miseraq; dedit solamina flamma
Basia mille, meus qua vix pateretur ocellus
Inuidus: & morsu petijt, gemuitq; remorsa?
Phylli diù (res si qua diù mortalibus vlla est)
Viximus vnanimes, qualis cum turture turtur:
Vna fides, amor vnus erat, mens vna duobus.
Cùm fugeres ergò, fuit ah, fuit vtile tecum
Ire mihi, vitaq; simul discedere curis.
Proh dolor, ille decor sub flore emarcuit ipso,
Quo nec amabilius, quo nec formosius vlla
Secula viderunt quicquam, venturaq; quo nil
Ætas aspiciet melius, vel laudibus æquum.

Siccinè

Siccine purpureo viole spoliantur amictu?
Siccine condensas amittit tempore paruo
Populus alta comas? heu non mutabile fatum.
O quotiès tremulis, quandò moribunda iacebat,
Impleui thalamos, tristesq; vlulatibus ades,
Atq; vtinam, dixi, febrem de corpore Phœbus
Arceat, aut Phœbo nymphaq; Coronide natus
Archiatros, tumidam pepulit qui vulnere iram,
Hirsuto Cytherææ rubo cum fossa doleret?
Aut vtinam clarus medica Podalyrius arte,
Herbarumue potens morienti Colchis adesset,
Quæ succo potuit lapsam renouare iuuentam?
Aut satus Iapeto sapiens animare figuras
Feruore ætherio, gypsoq; infundere vitam.
Talia questus eram, sed multa diuq; queremi
Nemo ferebat opem, donec (proh fata nefanda)
Ante diem rapida consumptam febre puellam
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
O infausta dies, nigro signanda lapillo,
In qua nulla dedit misero solatia ruri
Cynthius, atra procul caput inter nubila condens;
In qua non dulces cantus auis vlla sonabat,
Et coluber sese pauidus non extulit antro;
In qua culminibus dirum fera noctua carmen
Ingemuit, stridore mali prænumcia fati.
O mihi prima dies mortis, vitaque suprema,

Et quam nulla meo delebunt ſæcula corde,
Anteà quam ſicco viuant in littore piſces,
Quàm teneat ceruos æther, quàm ſidera tellus.
Ex quo Phyllis enim morti conceſſit, Amyntæ
Confuſam eripuit mentem, perq; ora volutæ
In riuos lachrymæ coëunt, ac æſtuat ingens
Imo in corde dolor, miſtoq; inſania luctu,
Et furijs agitatus amor, ſegniſq; libido.
Iupiter humanos ſemper miſerate labores,
Plurima quem pueri fixerunt ſpicula Diui,
Tuq; Pater lucis, qui quondàm pulſus Olympo
Fleuiſti paſtor Meſſenia per dumæta,
Paſtoris miſerere mei: miſereſcite, quæſo,
Pauperis, et iuuenis. Tuq;, ô, bona noctis alumna,
Quæ vitas adimis, da (non indebita poſco
Regna meis curis) Orco conſidere tandem,
Phyllide cumq; mea Stygia ſub nocte vagari,
Et cupidos miſcere ſonos, tacitumq; per agrum
Elyſij dulces fando recipiſcere flammas.
Heu multas effundo preces, et vota, ſed auræ
Omnia diſcerpunt, et nubibus irrita fundo.
Pulchram igitur quid non propero per vulnera mortem?
Iam Sol Oceanum, tectumq; ſubibat Amyntas.

Iamq;

Amq3 vbi nona suos Aurora ostenderet ortus,
Et Phœbus cursu radijsq3 retexeret orbem,
Pastor fœcundo lachrymis infirma lenabat
Mẽbra thoro, vt sese mox extra tecta referret
In tristes latebras, & inhospita regna ferarũ,
Quà non inueniat, nisi certa pericula, quicquam.
Dùm verò fessos humeros velabat amictu,
Sapè graues gemitus imo de pectore ducens,
Phyllidaq3 ingeminans, iterumq3 iterumq3 vocauit.
Protinus vt lanis artus induxerat, atros
Ingreditur lucos, lucemq3 domumq3 perosus.
Illic (heu) misere vano correptus amore
Vulnus alit venis, nemorumq3 per auia luget:
" Occulta qualis traiectus arundine cernus,
" Intestina dolens fixum per viscera telum,
" Se tacitis abdit syluis, & fata gemendo
" Accelerat, sudore vias & sanguine miscens,
" Nec non lachrymulis multum miserandus obortis
" Dyctamnum frustrà sterili scrutatur in agro.
At verò tandem ærumnosa silentia rupit,
Talia vociferans, & sparsus pectora fletu.
Phyllis in æternam noctem cùm clauserit orbes,
Quod nunc consilium, aut quæ iam fortuna sequatur,
Nè mea deformem subeat res tota ruinam?
Omnis enim census longè mihi cura recessit

Priſtina, nec poſſum curare à Phyllide quicquam.
Per quem nunc hyeme ſubdentur pabula bobus?
Aut niueo petulans addetur buccula tauro?
Per quem nunc ripis ducentur in alta capella
Candentes, matreſq; lupis rapientur & agni?
Per quem nùnc vdis aries in gurgite villis
Mergetur? per quem ſcabies vngetur amurca,
Aut eà per turbas mala quàm contagia ſerpant?
Per quem pungentur ſalientes ſanguine venæ
In pede balantis, quandò depaſcitur artus
Febris, & incenſas eſt arida flamma medullas?
Per quem molle pecus montes cogetur in altos,
Cærula cùm Thameſis pluuijs humoribus aucta,
Vel niue, non curuis ripis atq; aggere ſueto
Se cohibet, ſummum ſed inundans æquore littus
Præcipiti, ruriſq; caſas, & pinguia latè
Paſcua deuaſtat, rudibus ploranda colonis?
Heu pecus, armentumq; ſed eheù Phyllida raptam,
Et me Paſtorem miſerum, miſerumq; bubulcum.
« Mercibus amiſſis qui naufragus enatat, arduo
« Illiſa cymba ſcopulo, pontoq; Notoq;
« Volnitur, ignota fluitans per littora terra,
« Nec videt Oebalios vſquam pia ſydera fratres,
« Ille ſua me ſorte refert. Nam Phyllidis ex quo
Dura quies oculos, & ſomnus ferreus vrget,
Continuò in curas animus diducitur omnes:

Et pede non ſtabili ſolus per luſtra ferarum,
Per vacuas rupes, ac per pendentia ſaxa,
Et per inacceſſos colles, colubrúmq; cauernas,
Atq; per hos lucos horrendos fronde relapſa
Fluctuo, ſed nuſquàm pâret mea candida Phyllis.
Me neq; Sol vnquam, neq; Cynthia tempore ab illo
Vel minimos gelido libantem ceſpite ſomnos
Vidit, & aſſiduis furari lumina curis.
Ieiuno rabidam ſtomacho depellit orexin
Virginis altus amor, qui cunctos poſſidet artus.
Exaturantq; ſitim ſalſi, quos ſorbeo, fletus
Imbribus hybernis ſimiles, quos humidus Auſter
Nymboſo exturbat luctanti flamine cælo.
O veneranda Pales, paſtorum maxima Diua,
Cum Superûm nemo mœſti miſeretur Amynta,
Tene etiam meriti capiunt obliuia noſtri,
Cui ſtramentitijs totiès de faſcibus ignes,
(Cùm celebranda forent tua feſta Palilia ruri)
Accendi ſacros, ſuperans incendia ſaltu,
Libaq; magna manu Dryadis confecta dicaui,
Lacq; bibens tepidum, ſpargens & lacte fauillam?
Tuq; ingrata Venus, tuq; ô damnoſe Cupido,
Quos toties, mecum dùm Phyllida latus habebam,
Hymni ſonis toto cumulani laudibus agro,
Admirante choro pecudum, ſociiſq; colonis,
Cur infœlicis iam non miſeremini Amyntæ?

Priſtina, nec paſſum curare à Phyllide quicquam.
Per quem nunc hyeme ſubdentur pabula bobus?
Aut niueo petulans addetur bucula tauro?
Per quem nunc rupis ducentur in alta capellæ
Candentes, matreſq; lupis rapientur & agni?
Per quem nunc vdis aries in gurgite villis
Mergetur? per quem ſcabies vngetur amurca,
Aut eà per turbas mala quàm contagia ſerpant?
Per quem pungentur ſalientes ſanguine venæ
In pede balantis, quandò depaſcitur artus
Febris, & incenſus eſt arida flamma medullas?
Per quem molle pecus montes cogetur in altos,
Cærula cùm Thameſis pluuijs humoribus aucta,
Vel niue, non curuis ripis atq; aggere ſueto
Se cohibet, ſummum ſed inundans æquore littus
Præcipiti, ruriſq; caſas, & pinguia latè
Paſcua deuaſtat, rudibus ploranda colonis?
Heu pecus, armentumq; ſed eheù Phyllida raptam,
Et me Paſtorem miſerum, miſerumq; bubulcum.
« Mercibus amiſſis qui naufragus enatat, arduo
« Illiſa cymba ſcopulo, pontoq;, Notoq;
« Volnitur, ignotæ fluitans per littora terræ,
« Nec videt Oebalios vſquam pia ſydera fratres,
« Ille ſuæ me ſorte refert. Nam Phyllidis ex quo
Dura quies oculos, & ſomnus ferreus vrget,
Continuò in curas animus diducitur omnes:

Et pede non ſtabili ſolus per luſtra ferarum,
Per vacuas rupes, ac perpendentia ſaxa,
Et per inacceſſos colles, colubrúmq; cauernas,
Atq; per hos lucos horrendos fronde relapſa
Fluctuo, ſed nuſquàm pâret mea candida Phyllis.
Me neq; Sol vnquam, neq; Cynthia tempore ab illo
Vel minimos gelido libantem ceſpite ſomnos
Vidit, & aſſiduis furari lumina curis.
Ieiuno rabidam ſtomacho depellit orexin
Virginis altus amor, qui cunctos poſſidet artus.
Exaturantq; ſitim ſalſi, quos ſorbeo, fletus
Imbribus hybernis ſimiles, quos humidus Auſter
Nymboſo exturbat luctanti flamine cælo.
O veneranda Pales, paſtorum maxima Diua,
Cum Superûm nemo mœſti miſeretur Amynta,
Tene etiam meriti capiunt obliuia noſtri,
Cui ſtramentitijs totiès de faſcibus ignes,
(Cùm celebranda forent tua feſta Palilia ruri)
Accendi ſacros, ſuperans incendia ſaltu,
Libaq; magna manu Dryadis confecta dicaui,
Lacq; bibens tepidum, ſpargens & lacte fauillam?
Tuq; ingrata Venus, tuq; ô damnoſe Cupido,
Quos toties, mecum dùm Phyllida latus habebam,
Hymni ſonis toto cumulani laudibus agro,
Admirante choro pecudum, ſociſq; colonis,
Cur infœlicis iam non miſeremini Amyntæ?

Querela nona.

Nil vestras tenuisse aras, & supplice dextra
Thuricremos struxisse focos, ac dona dedisse
Proderit, atq; caput myrti vinxisse corona?
Nullane apud Diuos veteris stat gratia facti?
Cur igitur tantis reboant altaria votis?
Immemoris quorsum colimus tot numina cali
Credula turba nimis? virtuti (heu) pramia desunt.
Ast quare damno Superos, aut sydera, fixum
Cum nequeant Superi, vel sydera vertere fatum?
Et quorsum te Phylli queror, dulcissima rerum,
Dum colles, nemus, arua, lacus indagine claudo,
Cum neq; quid fletus, neq; quid sint gaudia norint?
At licet absenti nil proficientia verba
Profero, nequicquàm tristi tamen alloquar ore:
Et lachrymas, quanquam lachryma voluuntur inanes,
Prodigus effundam: Non est amor omnibus idem.
Attamen vlteriùs desertis callibus ire
Non libet, ac nimiùm vita iam tædet acerba.
Ipse manu mortem inueniam, miserebitur Orcus
Sanguine conspersi: Facilis iactura sepulchri est.
Saucius errabo cum Phyllide lata per arua,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora.
Sed redit angusti subter fastigia tecti.

Iam

Querela decima.

Iam q̃ dies decima emicuit, socijq̃ senilis
Et gelidi pertæsa thori Palantias atra
Nubila discussit, venienti prænia Soli,
Et Cephali cupidis se submissura lacertis.
Æolus, Auroræ qui demulceret amores,
Laxabat Zephyrum, & qui subroranta mollis
Gramina siccaret flatu, nè frigidus humor
Noctis amatorum furtiuos læderet ignes,
Paruus & Æolides nè non daret oscula Diuæ.
Omnia ridebant, sylua, agri, flumina, cælum,
Ruraq̃ mulcebat cantu campestris alauda,
Atq̃ hilares duxêre noua sub luce choraas
Pulchricomæ Charites, lata & saltâre per arua
Lasciui Satyri, canna ludente palustri.
Solus at exosus tam lætæ gaudia lucis,
Matutaq̃ iocos, gemitus fletusq̃ ciebat
Incassum Pastor,* & rupit pectore questum:
Desertoq̃ statim tecto, lucosq̃ subintrans,
Ereptam tali clamabat Phyllida voce.
Heu, Phylli quid agis? quid non reminiscere nostri,
Noctes atq̃ dies pro te qui pectore crudum
Vulnus alo? quarè solam iuuat ire per vmbras
Lætantes? niuei pecoris num pristina cura
Nulla manet? tibi nulla mei quoq̃ cura relicta est?
Quimis ingratam, si sit tua culpa, puellam;

Querela decima.

Et crudele nimis fatum, si cogeris illo.
Aspice quàm vigili curæ deuotus Amyntas
Inteream, et nudo quàm pastoralia desint
Omnia. Non vltrà pecudes in pascua pello,
Phœbus ab Eoïs quandò caput exerit undis:
Sed nec vimineis septis includo capellas,
Phœbus in Herculeis quandò caput occulit vndis.
Porrò septifora ad celebrandas canna choreas,
Carmina iamq; mihi desunt festiua; pedumq;
Amplius haud gesto curuum; non sessilis obba
Ad latus affixa est corio pelliue caprina,
Quæ femoris primam decoraret pendula partem,
Deseruitq; vagæ catulus vestigia plantæ,
Latratu tenerum qui custodiret ouile.
Aspice quàm pereant te nunc absente capellæ,
Queis thyma nemo manu blanda, dulcesq; liquores
Præbet, et exustas feruenti syderis æstu
Sub gelidas umbras ducit, stabuliue reponit.
Aspice quàm pereant te nunc absente bidentes,
Nec me fungente officio pastoris: agresti
Præda lupo fiunt erepti matribus agni;
Et scabies mala tentat oues; illotaq; sordent
Vellera, nec sordes quisquam sub flumine mersat.
Sed vereor cælo stolidus nè murmura iactem,
Dum placidas inter nymphas in rure beato
Elysia vallis maius tu pascis ouile

Immemor

Querela decima.

Immemor (heu) noſtri gregis, et languentis amici.
Ergò ſola mei mors eſt medecina doloris?
Nec tamen ante diem fas eſt concedere morti?
O duras hominum ſortes, heu triſtia fata.
Attamen inſano iuuet efferueſcere motu,
Et miſerum peiora ſequi meliora probantem.
Scilicet infirmos dum ſpiritus hos reget artus,
Hæc mea perpetuus cruciabit viſcera planctus,
Hæc mea perpetuas reſonabunt ora querelas,
Hæc mea perpetuo turgebunt lumina rore.
Lux quotiès aderit terris, et ab æquore Titan
Heſperio, gemitu ventoſo nubila cogam:
Nox quoties operit terras humentibus vmbris,
Innumeris vaſtos augebo fletibus amnes.
Ecquis erit, noſtro qui ſe conferre furori
Poſſit amor, cui nulla dies, aut hora quieta
Illuxit, poſtquam mea candida Phyllis abiuit?
O crudelis Amor, qui maxima cauſa fuiſti
Exitij, lathiq; mei, qui prima fuiſti
Cauſa, quòd his oculis aſpecta virgine plures
Conciperem flammas animo, quàm Sicilis ipſa
Eructare ſolet diſruptis Ætna caminis.
Quis te crediderit paſtori velle nocere
Innocuo? ſed et arma geris, mentemq; tyranni.
Tuq; O ſæua nimis Rhamnuſia rebus opimis
Inuida, deceptrix hominum, Dea lubrica ſemper,

Quid

Querela decima.

Quid tibi cum noſtris erat ignibus? oſcula noſtra
Quid numen laſere tuum? quid ludicra verba
Per multas horas protracta ſub arbore? vel quid
Mutuus amplexus, vel bina copula mentis?
Ruricolæ fuimus, mundi pauperrima turba.
Sunt orbi magis apta tuo diademata regum
Aurea, quæ multi ſunt ponderis: alta rotare
Conuenit, et turres pedibus calcare ſuperbis.
Quis te crediderit paſtoribus eſſe nocentem
Innocuis? fera ſed ſtat pro ratione voluntas.
Tuq̃ ô Parca ferox Furijs immanior ipſis,
Vndè animum ſubijt ſceleris tam dira cupido,
Vt matura viro moreretur et innuba Phyllis?
Ergonè ſperabas ſua tollere gaudia ruri?
Ergoné credebas miſeros conſumere curis
Agricolas? neq̃ te virtus, neq̃ lucida forma
Inflexit? noſtri neq̃ ſanctum fœdus amoris?
Quis te crediderit caprimulgæ poſſe nocere
Innocuæ? ſed ſæua malis, et ſanguine gaudes.
Cur autem mihi non mutilas quoq̃ licia mortem
Optanti toties? Certum eſt iam velle perire,
Vt lætos habitare queam cum Phyllide lucos.
Attamen in tectum cœpit ſub nocte reuerti.

Funereis

Querela vltima, & Amyntæ exitus.

FVnereis nymphæ post ignibus ossa cremata,
Undecimo colles cùm lumine sparsit oborto
Fulgida Titheni coniux: insomnis Amyntas
Et tecti tegulis vt primùm albescere lucem
Vidit, inops animi strato surrexit, & agro
Ædibus excedens passu, vestigia flexit
Lubrica per virides campos ad triste sepulchrum
Virginis: vt mutum ad cinerem, mânesq; silentes
Funderet extrema ferales voce querelas.
Quà postquàm teneros flores, gramenq; nouatum
Conspexit, charumq; sua sibi nomen amicæ
Insculptum, & nullo moriturum tempore carmen:
Quamùis, heu, paulùm lachrymis, & mente moratus,
Mox tamen incubuit tumulo, genubusq; reflexis
Sic effatus erat, cygni morientis imago.
Hæc lux, hæc tandem vitæ lux vltima, longis
Quæstibus imponet finem, mihi meq;, meamq;
Restituet, multos vincet mors vna dolores.
O dilecte pater, genitrix ô charior, ô vos
Pastores mihi grata cohors, fidiq; sodales,
Ædite venturo nullos in funere planctus,
Quandoquidem iubet ipsa Venus succumbere morti,
Et me tardantem placidis expectat in aruis

Alma

Querela vndecima.

Alma anima optata, non ipso flexilis Orco.
At mihi si quicquam debetis, cæca serate
Lumina frigenti, & cum Phyllide cespite eodem
Obruite, ambobus summum hoc concedite nobis.
Tuq; gregem nostrum in campos charissime Damon,
Ne mecum pereant, Tuq; ô Amaryllì, capellas
Phyllidis in virides tecum deducito montes.
Est mihi nam certùm crudelem abrumpere vitam,
Et lætari alia vita sub morte reperta.
O tandem sylua, vites, iuga, flumina, valles,
Et vitrei fontes, & cætera cuncta valete:
Posthàc non questus vobis miserantibus agros
Exercebit amans, aut suspirabit Amyntas
Amplìus. Ergonè me memet mactare necesse est
Immaturum annis? heu, quanta potentia regni
Est Venus alma tui? Postquam mea Phyllis abiuit,
Non oculis vnquàm somnos, aut pectore noctem
Accepi: nec enìm languorum tædia possum
Plura pati, ingeminant curæ, rursuq; resurgens
Sæuit amor: sed nunc sanabo vulnere vulnus,
Hæc erit & misera vita, & lux vltima luctus.
Ergò vbi concepit furias, & versat in imo
Corde dolos, dirumq; nefas, & fluctuat æstu,
Decreuitq; mori: Nocuit differre paratis,
Inquit, & extracto, quem secum fortè gerebat,
Cultello, primùm cæli connexa tuetur.

Tum

Querela vndecima.

Tum gemit, & pallens hæc verba nouissima fundit:
Parcite iam, Superi, supremaq; parcite Manes
Tentanti: flammis ferro, ferroq; furorem
Feruidus auertam, licèt improba fata recusent,
Teq; sequar Phylli. Media inter talia cultro
(Heu) diro infixus cecidit, terramq; manusq;
Sanguine fœdauit: Tellus miserata cadentem
Molliter excepit, sed & ipsa gemente sub illo
Increpuit, luctum tristi testata fragore.
Calicus interea, quamuis maiora Senatus
Tractaturus erat, tamen hæc spectacula cernens
Indoluit, subitòq; animam migrare iubebat
Sub noctem, lætoq; frui cum virgine campo:
Corpus Amaranthi formamq; & prendere nomen,
Ac placidos noti ruris florere per agros.
Talia dum statuunt illi, frigentia lætho
Lumina labuntur, sensimq; in sanguine sensus
Euolat, & tremulos paulatim deserit artus.
Iamq; pedes subita, caput inclinatus Amyntas,
Sustinansq; altùm, queritur radice teneri,
Pesq; vbi sit quærit, nusquam tamen inuenit illum.
Vtraq; nam tibia, & corpus languore liquescens
Vertitur in viridem culmum: gelidusq; medulla
Pristina fit succus, siccamq; humectat aristam.
Brachiaq; ad cælum supplex dum tendit, acutas
Induit in spicas: restabant ora, comæq;

Quid

Querela vndecima.

Quid facitis Superi, muſſat, (nam debile vocis
Murmur erat) quarè non eſt data copia mortis?
O Superi, muſſabat adhuc, muſſantiaq́ ora,
Atq́ comæ pulchri floris traxêre figuram,
Hæſeruntq́ noua triſtes in arundine voces.
Eſt rubor in foliis, ſcires è ſanguine nata.
Iamq́ pharêtratus ſolio ſurrexit ab alto
Diuus Amor, ſeròq́ ſui miſeratus Amyntæ,
Talia voce tulit Superûm auſcultante corona.
Populus Alcidæ cordi eſt, & myrtea matri
Syluameæ, & Cereri ſegetes, & laurea Phœbo,
Et grauida Baccho vites, & oliua Minervæ:
Noſter Amaranthus iam flos erit, omnibus illis
Pulchrior; vndantemq́ ſua virtute cruorem
Siſtet, quantumuis è ſanguine duxerit ortum;
Hoc feret à nobis: illoſq́ per omnia campos
Sæcula purpurei folij circundabit oſtro,
In quibus ereptos dudum plorauit amores:
Virginibus capita, & pueris, ludoq́ paratas
Ornabit Charites; & flos dicetur Amoris.
Interea abſentem longo iam tempore Amyntam
Per ſaltus vacuos, obſcuros perq́ receſſus
Syluarum, per & antra feris horrenda, canaſq́
Rupes, & gelidas valles, monteſq́, lacuſq́
Ruricolæ fruſtrà quærunt, & vana queruntur.

FINIS.

In inuidum quendam, sub Oli nomine, quem taxat Martialis.

VII. 9

EPIGRAMMA.

Antigonen Sophoclis malè vertimus? Ole quid ad te,
Quid faciat vetsu nostra Thalia suo?
Peccaui patrijs in rithmis? Ole quid ad te?
Non tua, quæ scripsit, sed mea pluma fuit.
Vulnus amatori sanauimus? Ole quid ad te?
Est illo solus carmine læsus Amor.
Non dignè psalmos transcripsimus? Ole quid ad te?
Non tua propterea, sed mea fama perit.
Phyllida iam ploro iuueniliùs? Ole quid ad te?
Non tua, quam ploro, sed mea Phyllis erat.
Noster hiat versus, vel claudicat? Ole quid ad te?
Forsan at exemplis linea nulla caret.
Seria nulla typis committimus? Ole quid ad te?
Cùm libeat, dabimus seria multa typis.
Liuescit tibi cor; hoc ad te pertinet, Ole.
Illa rudis, quæ sunt candida, carpis: & hoc.

Quæ

Quæ tu seriòs, olent: hoc ad te pertinet, Ole.
Mendax in tota plebe vocaris: & hoc.
Te sciolum dicunt: hoc ad te pertinet, Ole.
Tu medio digito sæpè notaris: & hoc.
Quæ tu dissimulas ad te spectantia, cuncta
Si numerem, numero cedet arena maris.

MVSEVM
BRITAN